

www.e-rara.ch

Marcelli Malpighii ... opera omnia

**Malpighi, Marcello
Scott.**

Londini, 1686

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 61

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-11162>

Praefatio.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

PRÆFATIO.

Plinianum illud elogium, quo naturæ artificium in architectandis minimis animalium moleculis celebratur, jure merito maximis etiam partibus adaptari posse censendum, cum una, eadēque sit, & constans naturæ operandi norma in minimis, æquè ac in maximis, & tantus videatur eorum in natura usus, & delectus, ut ingentes etiam moles sola minimorum compage erigantur: quin & tota laborat natura in minimarum nostri corporis partium coagmentatione, ità ut singula quæque quantumvis diversa, quibus viventium structura coalescit, compendio quodam ipsas construant, juxta illud *de loc. in homine*: *Corpus porro ipsum sibi ipsi idem, ac simile est, similiter autem habet, & parvas, & magnas partes, & si quis minimam corporis partem acceptam male accipere velit, totum corpus affectionem sentiet qualiscunque tandem ea fuerit, propterea quod minima corporis pars omnia quæcunque & maxima.*

Nec naturæ inopiæ imputandum dum minimorum ope utitur, sed solerti ejusdem artificio adjudicandum; generare enim, & corrumpere præcipua magisque universalia naturæ munera videntur, quæ significantiùs expressit Hipp. *Generari idem est quod commisceri; Perire, corrumpique, ac minui, idem est quod secerni: unumquodque ad omnia, & omnia ad unumquodque idem sunt.* Et quoniam miscere, & separare sunt minimæ organizationis effectus, ideo in magnis, insignibusque visceribus compingendis minimorum usum necessariò usurpavit. Notum optimè, vetùsque est apud naturæ Mystas, quamcumque miscellam, exclusionemque minimis fieri meatibus, ita ut in urinæ, salivæ, feminis, & aliorum cribratione, sensus, opticis etiam adjunctis instrumentis, nequaquam eorum rudem etiam structuram ob exiguitatem, attingat: nec mirum; nam si ex sanguine, vel alio consimili humore, veluti ex foecunda rerum materia, excitantur omnia quæ gigni, vel deficere dicuntur, dum hæc, ad minima usque,

PRÆFATIO.

intercedente solutione, aliqualem jam adepta sunt libertatem, solóque motu, & figurâ vim suam exeritura, aliis tamen confusa adhuc, commixtâque remanent, sola ope consimilis meatus, vel minimi cribri separari possunt; quare pluribus, hisq; similibus, segregatione præviâ in coacervatis, manifestantur res, vel communi verbo generantur: nec minori utitur minimorum operâ in miscellâ sagax natura, dum fermentationes, minimis in motum actis, mutuo occurfu, & tandem unione celebrantur, vel in parvulis, etiam reticularibus vasis, vel saltem carniûm exiguis meatibus, itâ intimè adaptantur, & uniuntur, ut novâ excitatâ compage in recentem emergant naturam.

Minimarum etiam nostri corporis partium necessariam existentiam diligens exploratio, & miræ inde emanantes actiones deprædicant; tantumque fuit naturæ studium in his compingendis, ut æquâ lance, tam exiguis, quàm ingentibus suæ micrologiæ munera contulerit: cum enim minima, sui incrementum quandoque exigant, quandoque decrementum patiantur, & contingentia corpora hoc ostendant, ut incongrua non excipiant, proxima verò ac consentientia admittant, & tandem peculiari alicui muneri demandentur, ideo necesse est, ut pro alimonia vasa ad sui etiam structuram exigant, nervorum pariter, & proprii vasis, ut plurimum excretorii, complicatione, conglobentur. Horum igitur continuatione, toti, præcipuisque visceribus colligantur & uniuntur, unde contactis minimis tota animalis hæc harmonia concutitur, & emanantes inde doloris, vel voluptatis motus universum corpus quatiunt, sicut etiam affectis insignibus, præcipuisque visceribus, minima compati necesse est, itâ ut antiquum illud, aliàs in scholis decantatum non perperam fortè de minimo liceat usurpare, *est totum in toto, & totum in qualibet parte.*

Horum minimorum opificium non aded naturæ arduum contingit, ut nostræ intellectiõni accidit; difficiliùs enim eorum legem mente concipimus, quam re ipsa à natura peragantur; simplex, una, & facilis videtur in conflandis viventium corporibus, naturæ norma, quam visus est Hippocrates de more *lib. de carn.* adumbrasse; evidentiùs eandem viam calcat in plantis, ac animalibus, dum pro nutritione organa fabrefecit; fistulas

PRÆFATIO.

fistulas namque cum interpositis in utrisque apposuit: alimenti, & humorum ascensum, viscerum, vel muscutorum pressione, in animalibus molita est: in plantis autem externo frigore, vel potius solatium radiorum vibratione sursum abigit.

Germanam igitur hanc naturæ operandi regulam, his, ruditer de quorundam viscerum structura exaratis, evidenter deprehendes, ubi minimorum ministerio perpetuò naturam uti, hisque ingentia excitari, & præcipuum illius studium esse separationem, & interdum miscellam, constabit.

Ne miraberis, novum me de Cerebro, Hepate, & Renibus assumisse laborem, post doctissimorum *Willis*, *Glissonii*, *Fracassati*, & *Bellini* absolutissimas exercitationes: tantorum enim virorum placita temporis beneficio novis observationibus firmata volui, ut verificetur *Hippocratis* illud effatum: *Tempus porrò etiam artem facilem, & perviam facit, aut in consimilem viam incidentibus processus manifestos facit, ità ut concludere possim cum eodem alibi: redarguere ea quæ non rectè dicta sunt minimè institui: Verùm his, quæ sufficienter cognita sunt, testimonium præbere animus est.*

INDEX